

Topazius. τὸπάζιον. Hebr. Pitdah.
 בטדה. Chaldæus vertit Iarkan. Iarok
 quidem Hebræis virorem significat:
 & gemmam viridem esse dicunt: vn-
 de quidam (Iudæi) Smaragdum inter-
 pretantur. R. Ionas ait hunc lapidem
 Arabicè vocari Smerad. Sed potiùs
 fuerit Topazius, nomine etiam non
 dissimili, si primam syllabã adijcias.
 Epiphanius quidem Topaziũ supra
 Carbunculũ rubere scribit: ego splen-
 dere potiùs quàm rubere dixerim. Mi-
 rificè enim fulget: exitq; eius fulgor in
 colorem auro similem: & cum inter-
 diu non facilè possit videri, quod ra-
 dij Solis ei similes circũcirca resplen-
 deant: noctu conspicitur ab his qui
 eam colligunt. Sed neq; virore caret:
 & cum succum porri fermè referat,
 sicut ab hoc ipso dicta prasitis gemma
 Theophrasto, Prasius alijs: ab hac ta-
 men differt, quòd nõ transluceat mo-
 dò, sed etiam mirificè fulgeat. Duo e-
 ius